

Jacob Lembke Georg Heinrich Lehsten von

Exercitatio Iuridica, De Obligatione Dominorum, Ex Persona Famulorum

Rostochii: Kilius, 1676

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn741541238>

Druck Freier  Zugang




Verpflichtungen des Herren
gegen die Person des Dieners

RV jur. 1676

Jacob Lembke

Georg Meier v. Lehsten



EXERCITATIO JURIDICA, 2.
DE
OBLIGATIONE
NE DOMINORUM,
EX PERSONA
FAMULORUM.

Quam,
AUXILIANTE DIVINO NUMINE,
AUCTORITATE, ET CONSENSU
Amplissimi Jctorum Ordinis in Academiâ Rostochiens.
PRÆSIDE
VIRO NOBILISSIMO, & CONSULTISSIMO
DN. JACOBO Lembken/
J. U. D. & Profess: Instit: Ordin:
Fautore, Præceptore, ac Amico suo
honoratissimo,

*ad Diem V. April. A.O. R.M.D.C. LXXVI. in Auditorio Majori, hinc consuetis,
publicè discutiendam proponit*

GEORG HINRICH à LEHSTEN.
de Wardovv.
Nobil. Mechlenb.
AUCTOR.

ROSTOCHII, Typis viduæ B. JOHANNIS KILII, Acad. Typogr.

1676


SERENISSIMO AC CELSISSIMO PRINCIPI
AC DOMINO.

DN. GUSTAVO
ADOLPHO,
DUCI MECHLENBURGICO,
PRINCIPI VETUSTÆ GENTIS HEN-
TÆ, SVERINI ET RACEBURGI, COMITI
SVERINENSI, TERRARUM ROSTOCHII
ET STARGARDIÆ DYNASTÆ,

DOMINO SUO CLEMENTISSIMO,

EXERCITATIONEM HANC JURIDICAM,

IN SIGNUM HUMILLIMÆ SUBJE-
CTIONIS, CUM DEVOTISSIMA SUI
COMMENDATIONE



*Submississime offert &
consecrat*

Georg Hinrich à Sehsten.
A.



I. N. D. N. J. C.

CAP. I.

De Servis antiquis, & nostris Famulis in genere, deque horum ab illis differentiâ.

§. 1.



Miserâ, ac deplorata olim, ex Jure Gentium, Romanis recepto, servorum fuit conditio, adeò ut pro nullis & planè mortuis haberentur *l. 32. l. 209. ff. de Reg. Jur. Nov. 22. c. 9. l. 59 in f. ff. de condit: & demonstr. imò pecudibz compararentur l. 2. §. 2. ff. ad Leg. Aquil. Bodin. lib. 1. de Republ. cap. 5. n. 43.* Dominorum autem è contrario incredibilis, & immensa in eos potestas, non solùm ad bona, sed etiam ad corpus sese usque extendens. Servi Corpus quod attinet, olim Jus Gentium Dominis in servos vitæ necisque potestatem concessit, ut vitam iis pro lubitu permittere & adimere potuerint §. 1. *Inst. & l. 1. §. 1. ff de his qui sui vel alien: jur. Senec. de benefic. lib. 3. cap. 23. Caesar: lib 6. de Bello Gallic.* Verùm hic rigor humanitate quadam deinde temperatus ac reformatus est, Antonini Imperatoris constitutione, quâ Dominus servum suum sine causa legibus cognita occi-

A. 2

occidere prohibetur d. 1. §. 2. ff. & §. ult. Inst. de his qui sui vel alien.
quales causæ continētur in l. 4 ff ad Leg. Aqu. l. 9. ff ad l. Corn d. scar.
24. ff. ad. Leg. Jul. de Adult. Si enim absq; causa servum suum occide-
rit, non minüs puniri ex Lege Cornelia debet, ac si alienum ser-
vum aut liberum hominem occidisset d. l. 1. §. 2. ff. & §. ult. : Inst.
de his qui sui vel al. l. 23. §. 9. ff. ad Leg. Aquil. l. 1 §. 2. ff. ad Leg.
Cornel: de Sicar : l. un. C. de emendat. serv. Sed eadem Anto-
nini Constitutione major quoque Dominorum coerceretur aspe-
ritas, dum jubebantur Præsides cognoscere de Dominorum savi-
tiâ, quæ si esset intolerabilis, bonis conditionibus, servus, invito
etiam Domino, vendi debebat §. ult. Inst. de his qui sui vel ibique
Vinnius in comm n. 2.

§. 2. Potestas autem illa Dominorum, quæ ad bona sese
extendebat, uti olim, ita & postmodum illibata ac immutata per-
mansit, dum nempe omnia, quæcunque servi vel ex traditione,
nanciscuntur, vel stipulantur, vel ex alia causa acquirunt, Domi-
nis statim acquiruntur d. §. 1. Inst. & l. 1. §. 1. de his qui sui vel. a-
lien : l. 24. ff. de acquir. vel amitt. possess. l. 182 ff de Verb: signif.
etiam invitis ac ignorantibus §. 3. Inst: per quas pers. cuique ac-
quir. imò planè vetantibus l. 62. ff. de Verb. Oblig. in tantum, ut
nec momento aliquo in persona eorum subsistant l. 79. ff. de acquir.
rer. domin. nisi conniventibus Dominis hoc fiat l. 4. pr. & §. 1. ff.
de manumiss. l. pen: §. 2. C. de serv. necess. hered. instit: Borchold.
in comment: ad Instit tit. de his qui sui vel alien. ad princ. Cu-
jac. Tract. 2. ad Afric. vers. vetus est regula.

§. 3. Verùm, augefcente Christianismo, in Orbe Chri-
stiano antiqua illa servitutis, & captivitatis durities, convenienter
Christianæ charitati, rationique & legis Divinæ Levit 25. vers 39
& seqq. Exod. 21. v. 2. Deut. 15. vers. 12. Jerem. 34. v. 14. 2. Pa-
ralip. 8. v 9. & humanæ l. 7. pr. l. 21. §. 1. ff. d. Captiv. & postlim:
revers. junct. c. ad mensam 1. quest. 3. vid Husan: de hominibus
propr. cap. 1. n 34 & seqq Mey ad Jus Lubec. lib: 1. ad Rubr. tit:
3. n. 19. & 30. inter Christianos ferme expiravit, nec hodie usur-
patur, & laudatissimâ tantùm consuetudine receptum, ut, salva
libertate, captivi, præstita pecuniâ, quam vulgo nos Rångron
vöcamus, in redemptionis præmium, veniam recedendi impe-
trent

trent. Neuter Bestallung zu Speyr Anno 1570. art. 25. Alciat. in
l. Hostes 118. n. 3. de Verbor. Signif. Hugo Grot. de Jur. Bell. & Pac.
lib. 3. c. 7. n. 9. Covarruv. in c. Peccatum part. 2. §. 11. n. 6. de Reg.
Jur. in 6 Philipp. Ecclog. instit. 32. Schultz in Synops instit. tit. de
jur. Person. lit. a. Unde nec in eos jure belli sociendum, sed jure
judiciorum forensi atque ordinario, quemadmodum in aliis re-
bellibus, contumacibus, aut fontibus plectendis fieri solet, proce-
dendum esse communiter traditum. Alciat. cit. loc. Husan: de homi-
min. propr. c. 1. n. 41. Confer Gudelin: de Jur. Noviss lib. 1. c. 1.

§. 4. De tempore verò, quo durum illud servitutis ju-
gum in desuetudinem abierit, non immeritò hic quarti poterat?
Verisimilius videtur, id seculo circiter post Christum natum 13.
accidisse. Nam in Juris Canonici Decretis non solum, quæ secu-
lo 12. per Gratianum composita sunt, plurimis locis de servis agi-
tur, vid. tot. Distinct. 54. can. si quis servum 17. q. 4. can. Episco-
pus & multos seqq. 12. q. 2. sed etiam in primâ parte Decretalium,
quæ Seculo 13. Jussu Gregorii IX. Pontificis compilata ac confir-
mata est integri duo tituli, n. de Conjugio Servorum & Natis
ex libro Ventre, extant, quæ omnia non est verosimile ipsos Com-
pilatores inseruisse, si illo tempore servitus jam ab usu recessisset.
Imo Bartolus, qui finiente fermè seculo 13., floruit, in l. hostes
ff. de captiv. & postlim. revers. expressè scribit, suo tempore,
nullos omnino amplius in Italia servos extitisse. Confirmat hanc
sententiam quoque Speculi Saxonici Auctor Eccius à Rep-
kau, eodem seculo clarus, lib. 8. art. 20. & 69. dum se excusat,
quod pauca de jure servitutis pertractaverit, utpote obsoleto pe-
ne. Confer. Bodin. lib. 1. de Republ. c. 5. n. 4. Hahn. in Observ.
ad Wesenbec. tit. de Manumiss. n. 1. Schönborn. lib. 1. Polit. cap. 9.
Gudelin: de Jure Noviss. lib. 1. c. 4. Stamm. de Servit. person. lib.
1. c. 2. n. 1.

§. 5. Monendum autem, quod tamen adhuc hodie servi-
tute utamur adversus hostes in fideles, & Christiani Nominis per-
secutores, quales sunt Turcæ, Sarraceni, Tartari, Ethiopes & alii.
Mey. ad Jus Lubec. lib. 1. ad rubric. Tit. 3. n. 30. Covarruv. in cap.
peccatum part. 2. relect. §. 11. n. 6. de Reg. Jur. in 6 Alciat. in l. ho-
stes 118. n. 2. de Verb. sign. & quidem non immerito, cum illi ex

nostris captos servorum jure tractent, proinde ergo ne mirentur
idem jus sibi dici, quod in personâ nostrorum æquum putaverint.
l. 1. pr. ff. quod quicq. jur. in al. statuer. Auth. navigia C. de furtis.
nontamē putaverim, nostros captivos, quamvis ab illis pro veris ha-
beantur servis, à nobis quoq; pro talibus omnino haberi. Nam nec
Romani eos, qui ex suis capti essent, servis annumerare conse-
verunt, sed in utrumque eventum, & Reversionis, jure postlimi-
nii, & Mortis, Lege Cornelia, iis potius prospexerunt §. 5. *Instit.*
quib. mod. jus patr. pot. solvit §. 5. instit. quib. non est permiss. fac.
testam. ibiq; Vinn. in Comm. pr. imò nec Charitati Christianæ
convenire videtur, præter ipsam gravissimam captivitatis afflicti-
onem, aliud damnum, aut detrimentum ejusmodi captivis addere,
aut irrogare *arg. l. 4. §. 2. ff. ad Leg. Rhod. de Jact. c. ex par-*
te tua §. X. de Cleric. ægrot. conf. Stamm. l. 1. c. 4. n. 4. §.
§. seqq.

§. 6. Planè, Germaniam imprimis nostram quod attinet,
& nostra ætate in ea nulli hujusmodi servi reperiuntur. *Mev. ad*
Jus Lubec. lib. 1. ad Rubr. tit. 3. n. 8. Vinn. ad pr. inst. de jur person.
n. 3. Imo si Tacito *libr. sing. de Morib. 6. German. credendum,*
nec olim ibidem reperti fuerunt. *Gaill. de Pignorat. Observ. 8. n. 2.*
Zasius in sing. Resp. lib. 1. c. 3. n. 76. Bodin: de Republ. l. 1. c. 5. n. 4.
Erhard. de operis Rustic. conclus. 3. lit. 2. nisi fortè sub finem seculi
§. Christiani, quo, cum inter ipsos Germanos, Francos videlicet, &
Alemannos grave & cruentum oriretur bellum, & Rex Franco-
rum Clodoveus ad Tolbiacum in Ubiis, hodie in districtum Colo-
niensem relatum, Alemannos planè devicisset, hos in servitutem,
juxta morem Romanis receptum, ut omnis in futurum rebellandi
anala tolleretur, redegit, testante Stumpf. lib. 2. Chron. Helvet: lib. 4.
c. 27. Lehmann. in Chron: Spir. lib. 2. c. 20. Tritheim. lib. 1. Annal.
Franc. cap. 40. Stam. de servit. person. lib. 3. c. 1. n. 2. quem secu-
lo 9. Carolus Magnus secutus, dum Saxones devictos, eandem præ-
se ferens rationem, jugo servili, magnâ ex parte Romano simili,
vehementer pressisse fertur. Johann. Stumpf. lib. 1. Chron. cap. 3.
Petz. in Mellif. histor. part. 3. cap. 4.

§. 7. Hodie ergo, abolitò inter nos illò antiquo servitutis
jugo, ad inserviendum & ministrandum liberis utimur hominibus,
qui

qui non constitutione juris Gent. iuvit & contra naturam Domi-
nio nostro sunt subjecti, sed sua voluntate ex pacto, aliave conven-
tione, pro certa mercede, vel victu, certis conditionibus servitii
atque operas domesticas nobis exhibent, præstantque, quos famu-
los, vel servos, Germanicè Dienet oder Dienstbotten / appellare so-
lemus. *Mev. ad Ius Lubec. lib. 1. ad Rubr. tit. 3 n. 32. Slib. 3. tit. 8.
art. 1. n. 1. § 44. Bonacoss de servis & famul. in præm. Abbas in
c. nullus de foro comper. n. 6 Stam. de servit. person. lib. 1. c. 2. n. 3* Et
licet nemo ad elocanda servitia ac operas cogi potest *arg. l. 17. §. 3.
ff. commod. l. 1. u. C. de locat. l. 2. C. mandat.* si tamen subditus operas
suas aliis locare soleat, & Dominus eandem mercedem, quam Ex-
traneus, velit solvere, Dominum re adhuc integra præferri, pie-
tatis & obsequii ratio suadere videtur *Carpzov. p. 2. const. 51. def. 9.
n. 8. & seqq.* si modo ejus nihil intersit, operas suas domino, vel
extraneo locari *Idem lib. 1. resp. 54.*

§. 8. Hos itaque nostros famulos à servis antiquis strictè
ita dictis immensum in modum differre manifestissimum est, nam
primùm tanta potestas, ut olim, in corpus servorum *l. un. C. de e-
mendat. servor.* Dominis in corpus famulorum nostrorum mini-
mè concessa est, quanquam enim uti olim *vid. d. l. un. C. de emendat
servor.* ita adhuc hodie custodiæ causa famulum fugitivum, aut
ob delictum Magistratui denunciandum, fugæ suspectum, donec
judicis copia haberi possit, includere non sit prohibitum *arg. l. 10.
§. 16. ff. quæ in fraud. credit. Fab. in Cod. l. 9. tit. 5. def. unic. Mev.
ad Ius Lubec. l. 3. tit. 8. artic. 10. n. 11.* durior tamen castigatio, & ultra
verbera, quæ ad judicem pertinet, non permittitur, sed tantum-
modica & moderata, si operas segniter infideliterque faciant, aut
alio modo domi peccent *l. 1. §. 7. ff. de injur. Authen. Ad hoc qui su-
am C. de latin. libertat. tollend. l. un. C. de emendat. propinqvor.
l. 5. §. fin. ff. ad leg. Aquil. l. 13. §. 4. ff. locat. Nov. 117. c. 14. c. duo
ista 23. q. 4. c. cum beatus c. Disciplina distinct. 45. Gloss. in cap. cum
voluntatem §. 4. §. fin. verb. de familia X. de sentent. ex. commun.
Husan. de homin. propr. quest. 4. n. 14. Bonacoss. de serv. & famul.
quest. 94. & quest. 117. n. 1.* quod apertè quoque Jure Lubecensi
lib. 3. tit. 8. art. 10. statutum reperitur. Quamvis autem moderata
sit castigatio, vel minus, id, ubi statuto non expressum, judicis
arbi-

arbitrio relinquitur *Menoch: de arbitr. judic: quest. lib. 3. cent:*
4. n. 13.

§. 9. Deinde & nostri famuli Dominis non acquirunt, uti servi antiqui, sed regulariter sibi met ipsis, quoniam per liberas personas, quæ in potestate nostra non sunt, ad quæ nobis nihil potest §. 5. *Inst. per quas person: cuiqu. acquiri: l. 1. C. eod. l. 3. pr. ff. quod vi aut clam.* nam sibi quisque, Jure Civili, quod sua interest, negotium gerere debet, non alteri *l. 11. ff. de Oblig. & Act. l. 38. §. 17. ff. de Verbor. Oblig. l. 11. §. 16. ff. de pignor: act.* Exceptò eò *1. si quid ex re nostra acquirant arg §. 4. Instit: per quas person. l. 10. §. 3. l. 43. §. ult. ff. de acquirend. rer. domin l. 63. ff. de procurat l. 21. ff. de usufr. l. 1. C. de Rei vindic: nostrum* enim est, quicquid ex re nostra, vel ejus occasione provenit *arg. §. 19. Inst. de rer. divis. l. 2. §. 6. ff. de acquir. rer. dom:* & quæ invidia est, quod ex re mea proficiscitur, ad me reverti *arg. §. 1. Instit. per quas person. cuiq. acquir. 2. si quid ex operis suis* nobis locatis & sic in suo servitio ac ministerio sibi deputato vel ejus occasione acquirant *arg. l. 26. ff. de Usufructu Noric. in addit. pract. ad §. 3. & 4. instit. per quas pers. cuique acquir. arg. l. 26 ff. de Usufr.* quia operæ etiam quodammodo ex re ejus, cui quis servit, habentur *l. 23 pr. ff. de acquir. rer. dom. Rittersbus. ad §. 4. Instit. per quas person. & ipsæ famulorum operæ à Dominis conducuntur. Carpzov. part. 2. const. 51. Def. 11. n. 1.* Alias differentias vide apud *Stamm. lib. 1. tit. 1. c. 2. n. 3.*

CAP. II.

Quomodo olim Domini ex Persona servorum obligati fuerint.

§. 1. Sed, ut, monente nostro Imperatore *in §. 1. Instit. de testament. ordin.* nihil antiquitatis penitus ignoretur, paucis præmittendum puto, quomodo ipsi Domini ratione servorum suorum ex Jure Gent. & Civili Romano obligati fuerint. Et quidem certissimum est, quod ipse Dominus servo obligari nullo possit modo *§. 6. Inst. de inutil. stipul. in tantum, ut nec fidejussor ab eò*
datus

datus teneatur l. 56. §. 1. ff. de fideiussorib. Nam cum Dominus & servus in iis, quæ juris sunt, pro una eademq; persona censeantur, & vox Domini vox servi sit arg. §. 12. Inst. d. inutil. stipul. l. fin. C. de impub. & al. subst. l. 4. ff. de judic. sibi met ipsi dominus videretur obligari, quod tamen fieri nequit l. 11. ff. de legat. 1. l. 21. §. 1. ff. de fideiuss. vid. Vinn. Valtei. Borch. Rittersb. ad d. §. 6. Inst. de inutil. stipul. Ceterum, uti Dominus ne quidem servo, ita nec, ex ratione juris Civilis, aliis ex factis servorum suorum obligabatur §. 10. Instit. de Pecul. Licet enim jure Civili placuerit, ut Dominus ex contractu servi alios sibi obligaret tot. tit. Inst. per quas person. Oblig. nob. adquir. non tamen placuit, ut iidem aliis quoque ex eorum facto obligarentur, utpote cum conditio Dominorum melior quidem per servos, non verò deterior fieri posset l. 133. ff. de Reg. Jur. l. 28. §. fin. ff. de pact. & alter per alterum haud obligaretur l. 38. §. 17. ff. de Oblig. & action.

§. 2. Verùm Prætor, naturalem æquitatem secutus, §. 9. Instit. de hered. qua ab intest. defer. intervenit, & ratione servorum dominos obligavit, dando in eos actionem §. 10. Inst. de pecul. pr. & §. 4. Instit. quod cum eo qui in alien. potest. Cum enim Dominus omne commodum ob servum sentiret, proinde secundum naturam videbatur, ut & incommodum Obligationis & Actionis sentire deberet arg. l. 1. ff. de Instit. Act. l. 15. §. ult. ff. de legat. præs. l. 10. ff. de Reg. Jur. Non tamen semper ac perpetuo Dominus obligatur, sed distinguendum; An servus contraxerit an deliquerit. Si contraxit, tenetur Dominus actione de peculio, non quidem in solidum, sed eatenus, quatenus est in peculio §. 10. §. 36. ff. de Act. on l. 1. §. 7. ff. de pecul. quia Dominus concedendo peculium, tacite de eo se obligare, & servo pro modo peculii permisisse videtur, ut contrahat ac negotietur arg. l. 1. ff. si quis à parent. l. 1. §. 5. ff. de acquir. posses. & proinde cum contrahentes fidei Domini secuti sint, non debent exinde datum sentire Vinn. Rittersb. & Dd. commun. ad §. 10. ff. de Action. Excipiuntur tamén hi casus, quibus dominus non obligatur. 1. Si servus liberum se mentitus judicium susceperit l. 6. C. de judic. 2. Si extra rem Domini pro alio intercessit l. 3. §. 5. ff. de pecul. l. 30. §. 1. ff. de pact. 3. Si compromiserit l. 3. §. 8. ff. de pecul. l. 32. §. 8. ff. de recept.

B

4 Si

4. Si Iusjurandum detulerit, & juratum sit l. 5. §. 2. ff. de peculio. Sand. ad l. 22. ff. de Reg. Jur.

§. 3. Si verò servus deliquit, tunc iterum interest, an privatum, an verò publicum admiserit delictum. Si privatum admisit, v. g. Furtum, Rapinam, Injuriam, Damnum, Dominus actione noxali, ut aut litis æstimationem præstet, aut servum noxæ dedit tenetur. pr. Inst. §. l. 1. ff. de noxal. act., l. 42. ff. de furt. Lud. Well. Disp. 16. Inst. 1b. 9. lit. h. Bachov. de Action: Disp. 8. 1b. 6. cum enim Domini non acquirant, aut lucrentur ex delictis servorum l. 3. §. 12. ff. de pecul. arg. l. 134. §. 1. ff. de Reg. jur. iniqum videbatur eos ultra teneri, quam quanti servi ipsi sunt §. 2. Instit. de noxal. act. quod tamen iis demum casibus procedit, si delictum illud sine jussu ac permissione Domini perpetratum est, alias enim si servus jubente vel sciente, & cum posset, non prohibente Domino deliquerit, ipse Dominus deliquisse censetur, adeoque in solidam damni æstimationem tenetur l. 2. l. 3. l. 4. §. 17. ff. de noxal. act. l. 2. §. 4. C. eod. tit. l. 11. ff. de jurejur. l. 15. §. 1. ff. ad Leg. Cornel. de sicar: §. 7. Instit. de Mandat.

§. 4. Quod si autem servus publicum delictum admiserit, non Dominus, sed ipse tenetur l. 12. §. 4. ff. de accus. l. 2. C. eod. l. 17. §. 8. ff. de edil: act. l. 4. §. 8. C. ad Leg. Jul. de vi publ. nisi forte civiliter ex crimine aliquo actum fuerit l. 25. ff. ad Leg. Cornel. de fals: tunc enim noxali judicio locus adhuc esse poterit. arg. l. 2. C. de accus. Johann. Faber. ad princip. Instit. de noxal. act. n. 3. Ratio autem differentie inter delicta publica & privata hæc esse videtur, quia de delictis privatis fere agitur civiliter, ad damnum rei familiaris resarciendum, quod servus, utpote nihil proprium habens, facere nequit; de publicis autem delictis agitur ferme ad poenam corporalem infligendam, vindictæ publicæ ergo, quam poenam servus, quamvis non bona, corpus tamen habens, ipsemet sustinere potest. vid. Rittersb. ad pr. Inst. de noxal. act.

CAP. III.

Quomodo & ad quid hodie Domini famulis obligentur ipsis,

§. 1. Sicut

§. 1. Sicut autem inter conditionem servorum apud Romanos, & nostros famulos diversissimum discrimen est, ita, quod de Obligatione Dominorum ratione servorum supra traditum, ad hodiernos Dominos non statim extendere licet, *Mev. ad Jus Lubec. lib. 3. tit. 8. art. 10. n. 4.* nisi forte in iis, in quibus ob aliquam adhuc similitudinem, vel rationis aliquam identitatem cum servis Romanis nostri famuli conveniunt, ut probatur *arg. l. 1. §. 5. ff. de public. & vet. l. 1. §. 16. § 18. ff. de vi & vi. armata. & lentire videtur Hahn in Observ. ad Wesenbec. tit. de Manumiss. in med: & sic intelligendum puto *Stam. de servit. pers. lib. 2. c. 1. n. 1.* quando argumentum à servis ad famulos nostros desumptum admodum frequens esse testatur. Hodie ergo non est dubitandum, quod Domini, secus ac olim, famulis suis utique obligentur, ita ut hi cum illis efficaciter agere possint, sunt enim liberi homines, qui legitimam standi in iudicio personam habent, nec ita, ut olim, ob omnimodam acquisitionem, unam eandemque cum Dominis personam habere finguntur *Mev. ad Jus Lubec. lib. 3. tit. 8. art. 7. n. 11. Stam. de servit. person. lib. 1. c. 2. n. 3.**

§. 2. Obligatur autem primò, idque ratione famulatus, Dominus famulo ad præstanda & subministranda alimenta, seu cibum ac potum, nec interest, sive de iis præstandis expresse convenerit, sive non, dum modo non planè contrarium placuerit; sive cum mercede pecuniaria, sive sine ea famuletur. 1. Enim ita jure constitutum est, ut liberi homines, operas artificiales quidem præstent proprio victu, obsequiales vero sumptu ac victu Dominorum *l. 18. l. 21. ff. de oper. libert. l. 31. ff. eod. Zas. in sing. intell. lib. 1. c. 3. n. 51. 52. & seqq. Brunne mann. ad l. 18. ff. de oper. libert. n. 2.* Operis autem obsequialibus, serviles & ministeriales hæ, utpote regulariter ad obsequium Domini & officii causa præstari solitæ, communitè accensentur. *Matth Coler. in Proc. Execut. p. 1. c. 9. n. 13. & 38. Stam. de Servit. person. lib. 2. tit. 1. n. 6.* 2. Naturali ratione impensæ Cibariorum ad eum dicuntur pertinere, qui hominis opera utitur *l. 18. §. 2. ff. commod. Husan. de hominib. propr. conclus. 26. lit. a. Mev part. 4. decis. 119. Maul. de Homag. cap. 4. n. 21. 3. Nemo etiam tenetur suis stipendiis militare. cum ex officiis 16. K. de præscription. Accedit. 4. Quod Dominus etiam olim ser-*

vo ad alimenta obstrictus fuerit. l. 2. ff. d. his. qui sui vel alien. jur. l. un. § 2. C. de Latin. libert. Atque licetiam universalem Germaniae consuetudinem observare, ut citra conventionem alimenta famulis mercenariis debeantur, testatur *Mev. ad Jus Lubec. lib. 3. tit. 8. art. 5. n. 24.*

§. 3. Ab hac autem assertionem excipiendos putaverim, 1. ipsos Scholares sive Studiosos, imò & alios, qui nondum proprium focum ac familiam habent, sed ipsimet frequenter extra Patriam in Academiis alieno in victu sunt, quorum famulis alimenta non debeantur, nisi fuerint promissa, ut quotidiana docet consuetudo. 2. Nec ipsi, qui ad opus tantum artificiale faciendum conducuntur, & proprie operarii dicuntur, huc spectabunt, illi enim regulariter suo sumptu opus conductum perficere tenentur l. 8. ff. de operis libert. ibique *De Surd. de aliment. tit. 1. q. 66. n. 3. Et seqq. Zaf. in sigul. intellect. l. 1. c. 3. n. 51.* Imò, ob quantitatem mercedis promissae, aliter interdum quoq; judicandū censere;

§. 4. Quamvis ergo ad alimenta cibum & potum, nō Dominus famulo teneatur, non tamen eodem modo ad vestimenta etiam praestanda obligatur. *Surd. de alim. tit. 4. quaest. 33. n. 33. Johann. de Imob. inc. Episcopus X. de praebend. n. 7.* Hinc si Dominus, vestes quas honoris causa, ad certum usum aut tempus, ut famulus eo ornatio publicè incederet & serviret, confici curavit, non statim eas sibi vindicabit *arg. l. 25. ff. de pecul. l. pen. §. 1. ff. solut. matrim. Caroc. de locat. conduct. p. 1. q. 33. n. 10. Matth. Coler: de proces. execut. p. 1. c. 9. n. 4.* sed si abstulerit secum, furti tenetur. *Mev. ad Jus Lubec. lib. 1. tit. 8. art. 5. n. 20.* quoniam eas non habet in proprietate, sed solummodo in usufructu, vel intelligitur precario & sub commodato à Domino habere, unde & Dominus propria auctoritate his eum spoliare poterit, ut adducit *Baldus in l. in his rebus §. servus ff. solut. matrim. quem allegat & sequitur Bonacoss. tract. de serv. Et fam. quaest. 79. n. 7.*

§. 5. Sed haec ita, nisi famulus pacto de iis sibi prospexerit, aut loci consuetudo, vel Domini famulique conditio aliter tulerit *arg. l. 31. §. 20. ff. de edil. edict.* Unde communiter concluditur, quod vestes lugubres, dominò potissimum Nobili vel in dignitate constituto mortuò, famulis utique debeantur *Bonacoss. de serv.*

de serv. & fam. quæst. 132. Coler de process. execut. d. p. 1. cap. 9. n. 42. Alex. in l. si ex re §. illud ff. de stipul. serv. decet enim ob nobilitatem, ut pompa forebris Nobilis sit sumptuosior & major quam Plebeji arg. l. 12. §. 5. l. 14. §. 6. ff. de relig. & sumpt. fun. dummodo hereditas aliâs solvendo fuerit arg. l. 14. §. 1. ff. de relig. & sumpt. Jun. Et ita moribus locorum pessim usu servari testatur Scam. de serv. pers. lib. 2. tit. 1. n. 6. in fin.. Quod tamen potissimum verum putaverim, de famulis principalioribus, & maxime illis, qui potiozem dominicorum officiorum curam habuerunt, vocanturque *Leib Knechte*.

§. 6. Sed numme tenetur Dominus ad impendia valetudinis, five ad medicamenta a grotis famulis subministranda? Communiter à Doctoribus solet distinguî, inter magnas & modicas impensas, ita ut ad illas non teneatur Dominus, ad has verò utique arg. l. 45. ff. de Usufr. l. 18. §. 2. ff. commod. l. 30. §. 1. ff. de adilit. edict. l. 12. ff. de impens. in rem dot. fact. l. 7. §. fin. ff. solut. matrim. Caroc. de locat. conduct. part. 1. quæst. 33. n. 37. Surd. de alim. tit. 1. quæst. 23. n. 34. Scam. lib. 2. tit. 1. n. 8 Bonacoss. de serv. & famul. quæst. 103. n. 4. quod tamen magis Christianæ Charitati, quam Civili Legum rationi convenire dicit Coler. de alim. lib. 1. cap. 13. n. 34. Aliter adhuc distinguit Paul. Busius in l. Nescennius ff. de Negot. gest. an famulus ea impendia de suo solvere possit, nec non, idque ex consuetudine observari dicit. Sed omnium elegantissime monet *Mev. ad Jus Labec. lib. 3. tit. 8. artic. 11. n. 18.* talem esse hanc quæstionem, quæ ad æquum judicis arbitrium referenda, ut non modo quantitas impensæ, sed etiam conditio Domini servique æstimetur, & secundum hæc judicetur.

§. 7. Obligatur porro Dominus servo ad mercedem. Merces autem vel certa est promissa, vel incerta, vel plane nulla. Si certa, non dubitandum, quin actione locati jure peti possit l. 6. l. 25. §. 3. ff. locat. l. 1. pr. ff. de constit. pec. Si verò incerta est promissa v. g. dabo tibi mercedem æquam, compensabo mercede operas tuas, dabo tibi tantum mercedis, quantum inter nos convenerit, utique etiam merces debetur, sed quoniam ab initio certa non intervenit, non propriè locatio conductio, sed innominatus contractus celebratus est, unde ad præscriptis verbis datur

*S. 1. Inst. locat: l. 22. ff. d. prescript. verb. l. 52. pr. ff. de donat. in-
ter. vir. & uxor. Nec impedit, quod in l. 17. C. & l. 56. §. 3. ff.
mandat. dicatur, salarium incertae pollicitationis ne quidem extra
ordinem peti posse. Præterquam enim quod Leges illæ loquan-
tur de contractu Mandati, qui gratuitus est *S. ult. Inst. mand. se-
cus ac locatio conductio pr. Instit: de locat. conduct: illa tamen as-
sertio generaliter fallit, ob qualitatem & conditionem personæ,
quando illa salarium accipere solita est, & sui commodi causa ali-
quod officium præstare præsumitur arg: l. 7. ff. mandat: l. 1. §. 1.
& seqq. ff. de extraord. cogn. l. 1. C. de suffrag. Brunnem. ad d. l. 17.
C. mandat. Hahn: in Observ: ad Wesenb: tit. Mandat. n. 12.
Erantsck: in Comm: ad ff. tit. cod. n. 37. quod ipsum de famulis no-
stris nemo facile negaverit.**

*§. 8. Quando autem nulla omnino merces promissa appa-
ret, majoris momenti quæstio est, An & tunc debeatur? id negare
haud possum. Nam sicut, si mancipia vel merces navi imponan-
tur alio vehenda, & si nihil dictum sit, merces tamen ipsa imposi-
tione debetur l. ult. pr. ff. ad Leg. Rhod. de jact. Menoch. lib. 3.
presump. 87. n. 1. Roman sing. 461. Ita, cum verisimile non sit, ali-
quem gratis velle servire, potissimum si pauper sit, & nummis
ægeat, ipsa operarum constitutione merces promissa videtur. *Petr.
de Ubald. in Tr. de duob. fratr. p. 6. princip. n. 26. & 27. quem ci-
tat & sequitur Mevius ad Jus Lubec. d. tit. 8. art. 7. n. 21. Bonacoss.
quest. 79. n. 2. Hartmann: Pistor. l. 1. quest. 8. n. 7. Accedit quod
æquum & justum sit, ut unusquisque sui laboris mercedem habeat
2. Cor. 3. c. quicumque. 12. quest. 2. Ne labor sine mercede esse de-
beat. c. charitatem. 12. quest. 2. Nov. 82. c. 9. in pr.**

*§. 9. Excipiuntur autem plurimi casus, quibus salarium
non promissum, non quoque debetur 1. Si tam Dominus quam
servus, ante hac soliti fuerint gratis operas recipere ac præstare.
*Rota Genuens. decis. 15. n. 4. in fin: Johann. Fab. ad §. fin. Inst. de
Mandar. 2. Si consuetudo loci sit, ut pro victu aliquis tale famu-
litium præstet. 3. Si nulla facta mercedis mentione, victus solus
fuerit promissus. 4. Si quis arbitrio Domini mercedem relinque-
re, wann einer auff Gnaden dienet v. g. si quis dicat Der Herr
möge geben was er wolle / quicquid enim permittitur alicujus vo-
luntati**

luntati, id juris necessitati haud subicitur *l. 40. ff. de judic. l. 1. C. quomodo & quando judex* Quod etiam Statutis ut *Jure Lubec. lib. 3. tit. 8. artic. 7. Jur. Saxon: lib. 1. art. 22. Jure Hamburg lib. 2. tit. 9. art. 6.* passim receptum est. In his autem & similibus casibus judicis arbitrio plurimum relinquitur. *vid. Mev. ad Jus Lubec. d. art. 7. n. 13 & 8. Caroc. d. part. 1. quest. 31. n. 3. & seqq. Menoch: de arbitr: judic. quest. cas. 515.*

§. 10. Visò eò, quod & salarium incertum promissum, & non promissum, regulariter debeat, videndum nunc ulterius, quantum ergo præstandum sit. Et quidem cum hoc ob varietatem rerum facile definiri nequeat, arbitrio judicis, ut is, ex bono & æquo, quantitatem salarii, casu occurrente, constituat, relinquendum *arg. l. 1. ff. de jur. deliber.* Debet autem judex in ejus constitutione potissimum inspicere 1. Consuetudinem tam Domini quam Famuli, quantum Dominus similibus ministris in eo officio dare, & famulus accipere ab aliis solitus sit, *arg. l. 14. ff. de ann. Leg. l. 22. ff. de alim. & cibis: leg. 2. Diligentiam, conditionem & operas famuli, & 3. ipsam loci consuetudinem l. 34. ff. de Reg: Jur: Re-cess Imper: de Anno 1548. tit. 15. & 24. Vid. Stam. de serv. person: lib. 2. cap. 8. n. 3. & 4. Caroc: de locat: part: 1. quest. 13. & 14. Menoch: de arbitr. Jud. quest: d. cas. 515. Mev. d. art: n. 2. & seqq.*

§. 11. Cæterum, ad mercedem solvendam Dominus non in initio, sed in fine præstituti demum servitii obligatur *l. 1. §. 4. ff. de migr: l. 42. ff. de Verb: Oblig. Mynsing. cent 3. Obs. 7. n. 3.* quamvis annus currere incipiat à die aditi & administrati servitii *Stam. lib. 2. c. 8. n. 9.* Secus tamen esset, si vel pactum, vel consuetudo, vel conditio famuli Dominiq; ut & ipsius operis qualitas aliud requireret. *Sichard. & Dd. ad l. 2. C. locat.* Imò si Dominus in annum operas pro certa mercede conduxit, eo finito, inchoatoque alio anno, licet nulla mercedis hujus sequentis anni facta fuerit mentio, tamen merces in primo promissa iterum debetur *l. 13. §. 11. l. 14. ff. l. 16. C. locat. Bonacoss. de serv. & famul: quest. 80. Boland: à Vall. in Tratt: de lucro dot. quest. 75. n. 5.*

§. 13 Gra-

§. 12. Gravissima autem hic occurrit Controversia: Quid Juris, si famulus sine sua culpa impediatur, quo minus servitium integro anno exhibere valeat, an integra tamen merces ei debeatur. Quamvis Dd. communiter in contrarium nitantur *ob. l. 15. §. 16. ff. locat*: Affirmativam tamen sententiam, tanquam veriores, amplectimur *per l. 33. ff. locat: l. 13. ff. de annuis leg. l. fin. pr. ff. ad Leg. Rhod. de jact. l. 15. ff. de oper. libert: l. 4. §. 5. ff. de stat. liber. Coler. de process. execut. p. 1. c. 9. n. 72. Mev ad Jus Lubec. d. lib. 3. tit. 8. art. 11. n. 11. Et seqq. ubi n. 14. rectissime ad oppositum textum respondet; illum non loqui de eis, qui cepto & durante servitio in calamitatem incidunt, sed qui post contractum conditionis, antequam servire incipiant, impediuntur. Sic quoque Dominus, si absque alia justa causa famulum ante tempus dimiserit, plenum ei salarium nihilominus solvere debet *arg: l. 38. ff. locat. Carpzov. part. 2. Const. 11. def. 13. n. f. Coler. part. 1. decis. 201. n. 3. Bonacoss. de serv. Et famul. quest. 100. n. 1.**

§. 13. Uti verò Dominus obligatur famulis ad mercedem constitutam & æquam solvendam, ita quoque interdum obligatur ad mercedem augendam, quotiens nimirum vel labor, interveniente aliquo negotio, de quo tempore contractus nondum cogitatum, multum auctus fuit, aut famulus alio adhuc officio præficiatur, quod antea ipsi demandatum non erat. *l. 49. ff. de oper. libert: l. fin. C. de princip. agent in reb. lib. 12. Nov. 3. c. 3. cap. cum non deceat. de Electione in 6. Boër. decis. 213. n. 9. Et seqq. Stam. lib. 2. cap. 32. n. 4.*

§. 14. Imo, obligatur etiam Dominus, non solum ad res in servitio amissas restituendas *Carpz. part. 2. Const. 51. def. 14. quem sequitur quoque Mev ad Jus Lubec. lib. 3. tit. 8. art. 11. n. 10.* sed etiam ad damnum in corpus famuli datum resarciendum, dummodo ejus occasione & culpa id acciderit, v. g. si vel onus insupportabile ei imposuerit, vel ad periculosas expeditiones eum adegerit *l. 3. §. 2. ff. locat. vel extra operas conventas ipsum adhibuerit. l. 13. §. 3. ff. locat. idem extendunt Dd. ad casum si famulus ex inimicitia erga Dominum ab altero læsus fuerit. l. 15. §. 4. ff. locat. quoniam & id ipsius culpe annumeratur, l. 20. ff. commun. divid. l. 66. pr. ff. solut. matrim. Pantschman. part. 1. quest. 14. n. 57. Mev: cit. loc. n. 7.*

loc. n. 7. *Carpzov. lib. 6. Resp. : 107. n. ii. cuius vero culpa datum est,*
is ipsum damnum dedisse videtur l. 4. §. 4. ff. de vi bon. rapt. l. ii.
§. fin. l. 57. in f. ff. locat. : l. 15. ff. ad Leg. Cornel. de sicar. cap. 11. X.
de homicid. : Socin. : lib. 2. conf. 286. n. 2.

§. 15. Obligatur tandem Dominus teneturque actione in-
juriarum si immoderatè famulum suum castigaverit, vel convitiis
ac contumeliis affecerit. *Bonacoss. ad tract. quæst. 235. Mev. lib 3*
tit. 8. art. 10. n. 16. ubi hac de re præjudicium allegat, non ob-
stante §. 3. *Inst. de injur.* qui ad servos propriè dictos tantum perti-
net. Singulariter tamen hoc notandum, licet alias omnis injuria
injuriandi animo illata præsumatur, quem abfuisse inferens pro-
bare debet. l. 5. ff. de injur. *Gail. lib. 2. Obs. 106. n. 1.* eam tamen
præsumptionem in Domino cessare, unde potius famulus, qui de
injuria conqueritur, animum injurandi probare debet. *arg. l. 5. §. 3.*
Et seq. ff. ad Leg. Aquil. Gail. cit. loc. n. 6. Mev. d. Art. n. 19.

CAP. IV.

An & quomodo Dominus ex Contractu famuli aliis obligetur.

§. 1. Hactenus actum, quomodo & ad quid potissimum
Dominus obligetur ipsi famulo, nunc tractandum an & quomo-
do Dominus tertio obligetur & quidem ex Contractu. Qua in re
sciendum, quod, quamvis regulariter quidem Dominus ex contra-
ctu famuli non obligetur. l. ii ff. de Oblig. *Et act. l. 38. §. 7 ff. de Ver-*
bor. Oblig. §. 3. Et §. Inst. de inutil. stipul. l. 1. C. ne uxor. pro ma-
rit. l. 1. C. ne fil. pro parr. secus tamen sese res habeat, si famulus
simul institor sit, qui sc. tabernæ præest, & mercaturam Domini
administrat. Nec interest expresse an tacitè, dum Dominus præ-
fens patitur eum administrare, sit præpositus l. i. §. 5. ff. de exercit.
act. l. 15. ff. mandat. l. 8 ff. quod cum eo qui in alien. possessat. est Dec.
in l. in eo no. §. pupillus 2. ff. de Reg. Jur. : n. 1. Et seq. Utrouque enim
casu Dominus utique obligatur, daturque in eum actio, his, qui e-
jus negotiationis gratià, cui præpositus est famulus, cum eo secun-
dum præpositionis legem contraxerunt, in solidum, etiam si nihil
in rem Domini versum fuerit l. i. l. 5 pr. *Et c. n. l. 5. c. 5. ff. de Instit.*
act. l. 3. C. cod. §. 2. Instit. quod cum eo l. ult. ff. de exercit. act.

C

§. 2. Et

§. 2. Et hoc non sine maxima æquitatis ratione, partim quia Dominus omne commodum ex Contractu ejusmodi servi sentit, proinde & incommodum actionis recusare non debet *l. 1. pr ff l. fin: C. de Instit. act. l. 10. ff. de Reg. Jur.* prout supra adductum partim, quia contrahentes magis Domini præponentis, quam præpositi famuli fidem sequuntur *l. ult. ff. pro soc. quos decipi iniquum foret l. 11. §. 4. ff. de Instit. act. l. 7. §. 11. ff. ad SCrum Macedon.* Plane obligatur quidem & ipse institor contraheuti *l. 7. §. 1. ff. de Instit. act. l. 7. §. 11. ff. ad SCrum Maced.* verum officio adhuc durante, non vero eo finito id procedere putatur. *l. ult. ff. de Inst. act: Carprov. p. 2. constit. 20. def. 14. Wesenbec in Paratit. ff. de Inst. act. n. 2. ibique Hahn. Colleg. Argentor: tit. quando ex facto tur: thes: 4. Sebncidevvin: ad §. 12. Inst: quod cum eo n. 11. Eckolt. in ff. tit: de Instit. act. §. 3. Mev: ad Jus Lubec. tit. 6. art: §. n. 5. § 7. libr: 3.*

§. 3. Obligatur etiam 2. Dominus ex contractu sui famuli, si vel generale vel speciale mandatum vel jussu ad contrahendum ipsi dederit *arg: l. 1. pr. ff. quod jussu: Schultz in Synops Inst: tit. quod cum eo. lit: G. Ekholt. ad ff. tit: quod jussu in f. Pfeil p. 1. Conf: 24. n. 5. Rÿppen Decis: quest. 21. n. 1. 10. § 11. Faber ad §. 1. Inst. quod cum eo.* Idem dicendum videtur, quamvis ab initio mandatum non intervenerit, si modo Dominus contractum suum non celebratum ratihabuerit *l. 7. C. ad SCrum Maced. l. 5. ff. de donat. inter vir & uxor. l. 1. §. 3. 4. § 6 ff. quod jussu l. 16. §. 1. ff. de pignor: Mev cit: loc: n. 6. Pfeil: cit: loc: n. 6.* Hinc queritur si famulo generale mandatum non habenti specialiter tantum, mandatum sit, ut mutuam pecuniam nomine Domini accipiat, an, si dato chyrographo, illam revera non acceperit, Dominus per illud obligetur. Et Negativa sententia verisimilior videtur *arg: l. 1. §. 17. § 18. ff. si quid in fraud: Patron. quam communem dicit Srauch: de Mercat: tit: Mandat: n. 4. Jacob. Philipp: Port: conf: 176 n. 5.* Minister enim fines mandati transgressus est, dum dato chyrographo, literarum Obligationem solum contraxit, non verò mutuum, quod reali pecuniæ numeratione demum contrahitur *pr: Inst: quib: mod. re contrab. Obligat: l. 2. §. 2. ff. de reb. credit.* Unde cum non ex mandato, sed proprio arbitrio

CON-

confessus est, Domino non præjudicabit *arg: l. 6. § 4 ff. de Confess* Vid. eleganter hanc questionem in utramque partem discutam apud Røppen *cit. loc: per tot. quem per omnia sequitur Stam: cit: lib. 2. cap. 23.*

§. 4. Tenetur Dominus, si in contractibus his illisvè celebrandis opera famuli uti solitus fuerit *arg: l. 3. in f. C. de Episc: audi. Røppen Decis. quest: 21. n. 18. Pfeil: part: 1. Conf: 24. n. 8.* Consuetudo namque Domini loco specialis mandati habetur, *Mev. ad Jus Lubec. cit: art: 5. n. 19.* Item 4. Dicendum, quod Dominus teneatur, si famulus contraxerit & exinde necessario vel utiliter in rem Domino impenderit, quatenus impensum est. *l. 1. pr: l. 3. §. 1. 3. & seqq. ff. de in rem vers.* Cum & inter conjuges id locum habere testetur *Schulz in Synops. Instit: tit: quod cum eo lit: D. quem allegat & sequitur Eckolt. ad ff tit: de in rem vers.*

CAP. V.

An & quando Dominus ex delicto famuli obligetur.

§. 1. Nunc paucis adhuc videndum, quando Dominus propter Delictum famuli aut damnum ab eo datum, aliis teneatur. Qua in re generaliter iterum monendum: Quod regulariter Dominus non teneatur ex delicto à famulo admissio, datoque inde damno. Pœnæ enim suos debent manere auctores *l. 12. C. de pœn: & nemo ex delicto, culpavè aut odio alterius puniri gravarique debet c. quia presidatus 1. quest: 4. l. 33. C. de inoffic. testam: l. 74. ff. de Reg: Jur: c. non debes: 22. eod: in 6. Rauchar: part: 2. quest: 10. n. 53. Alciat: Reg: 3 præsumpt: 4 n. 1. Mev: ad Jus Lubec: lib: 3. tit: 8. art: 1 n. 24. Gaill: lib: 2. Obs: 21. n. 6. Bonacoss: de serv: & fam: quest: 57. n. 1. Farin: prax: Crim: lib: 1. tit: 3. quest: 24. Jul: Clar: in Prax: crim: quest 85. n. 2. in tantum, ut nec statuto id generaliter introduci possit Vid: Gomez: in Comm: in tit: Inst: de Action: §. actiones autem n. ult: Stam: de serv: person: cit: lib: 2 cap. 14. n. 32.*

C :

§. 2. Fal

§. 2. Fallit autem hæc Regula sapius & l. Obligatur Do-
 minus si famulus deliquerit in officio sibi commisso, vel causa
 cui à Domino prapositus est, & damnum dederit, teneturque
 ad restitutionem damni l. 1. §. 5. ff. de publican. l. 1. C. ad
 Leg. Jul. repetund. l. 11. pr. ff. locat. arg. l. 7. pr. ff. naut. caup.
 stabul. l. 4. §. 2. ff. de offic. Proconsul. Stam. de servit. pers. l. 2.
 c. 15 n. 1. & seqq. Brunnem. ad l. 1. ff. de public. n. 3. Menoch. de
 arbitrar. judic. quest. cent. 4. cas. 345. n. 1. & seq. Sichard. in
 Rubr. C. de Instit. act. n. 6. Hahn. in Observ. ad Wesenb. tit. de
 noxal. act. in fin. Carpz. p. 4. Const. 43. def. 7. Wurmser. pract.
 for lib. 1. miscell. Obs. 4. n. 1. Domini enim ad ministerium suum
 bonos debent eligere servos, & explorare cujus fidei & innocen-
 tiæ sint, quos operis suis adhibent l. 3. ff. de public. l. 7. §. 4. naut.
 Caup. stabul. l. 27. §. 9. ff. ad Leg. Aquil. Hocque procedit etiam si
 Dominus ignoraverit famulum delinquerè l. 1. §. 11. & 16. ff. de vi &
 vi armat. l. 1. pr. §. 5. & 6. ff. de public. Bonacoss. de serv. & fam.
 qv. 57. n. 2. Vid. Stam. de serv. pers. l. 2. cap. 18. n. 15. & 2.

§. 3. Hinc jam deciditur, Dominum ergo ad damni re-
 stitutionem teneri, si per culpam stabularii in stabulo, vel ex desidi-
 dia fornacarii apud fornacem, vel ex negligentia coquis in culina,
 igne negligenter custoditò, incendium ortum, & vicino damnum
 exinde datum fuerit, secus verò sese rem habere, si alius, nec cui
 fornacis, culinae, vel stabuli cura commissa est, ignem curandum,
 negligenter habuerit, vel inhabitator opera saltem mercenario-
 rum v. g. Drauer und Mühlknechte, quos & alii ad hæc opera
 adhibere solent, usus fuerit, quorum culpa incendium ortum est
 l. 27. §. 9. ff. ad Leg. Aquil. l. fin. §. 4. ff. naut. caupon. l. 30. §. 3.
 ff. locat. Rauchbar part. 2. quest. 10. n. 60. Carpzov. part. 4.
 Const. 18. def. 13. n. 4. & def. 14. Gaill. lib. 2. Observ. 21. n. 6. Berlich.
 part. 4. conclus. 25. n. 103. Caroc. de locat. conduct. tit. de incend.
 n. 16. Et hanc esse communem opinionem dicit Mev. d. lib. 3. tit.
 & art. 1. n. 28. Vid. Laté Stam. cit. l. 2. cap. 7. per tot. Excusari
 tamen poterit Dominus ab ipsa damni, etiam in officio dati, resti-
 tutione, si elegerit eos ministros, qui tempore electionis habue-
 runt integræ vitæ testimonium ab omnibus arg. d. l. 27. §. 9. ff. ad
 Leg. Aquil. Nov. 82. c. 1. in fin. Eckelt. ad ff. tit. de noxal. act.
 n. fin.

§. 4. Obli-

§. 4. Obligatur 2. Dominus si servus, quamvis extra suum officium, consensu & voluntate Domini deliquerit, aut damnum dederit l. 2. §. 3. C. de noxal act: l. un ff furto advers naut. Stam. dict lib 2. cap. 14. n. 11. Brunnem. in l. ult. C. de noxal. act. Sibarid: in l. 3. C. de pact. n. 13. Gomez var: resol. rom. 3. cap. 3. n. 8. Ubi verò notandum, quod, cum regulariter non præsumatur, damnum consensu Domini datum esse, id ab allegante specialiter probari debeat. Gaill. de pignor. c. 5. n. 5. Maslard. de probat. vol. 2. conclus. 660. Alciat. de præsumpt. reg. 3. Pres. 40. Cotbm. vol. 3. Resp. 10. n. 345. Consensus autem Domini probatur & elicitur ex scientia & patientia Domini, si prohibere potuit delictum, & non prohibuit l. 2. 3. §. 4. ff. de noxal. act. l. 2. 3. §. 4. ff. ad Leg. Aquil. Raucbbar. part. 2. quæst. 10. n. 56. Mev. ad Jus Lubec. cit. art. n. 27. Ruin. vol. 5. Cons. 12. n. 8. Eckolt. ad ff. tit. de nox. act. n. f. culpæ enim reus est, si ille, cuius officio incumbit, delinquentes prohibere, non prohibuerit cum potuerit. c. 1. X. de off. deleg. l. 9. §. 1. ff. ad Leg. Cornel. de fals. Unde cum famulus quidam videns Dominum rixari cum alio accurisset, illumque, tacente & non prohibente Domino, vulnerasset, Dominum hunc pro verberibus à servo illatis, in pœnam pecuniariam 500. scut. fuisse à Senatu Pedemontano condemnatum, refert. Anton: Thesaur. lib. sing. quæst. for. 83.

§. 5. Idem dicendum 3. quod nempe teneatur ex delicto famuli Dominus, si illud ratihabuerit. Eckolt. ad. tit. ff. de noxal. act. 10. in fin. Consil. Marpurg. vol. 4. Cons. 50 n. 198. quia ratihabitio in delictis etiam mandato comparatur. l. 1. §. 14. ff. de vi & vi armat. l. 15 2. §. 2. ff. de Reg. Jur. cap. cum ad sed. 15. X. de restit. spoliar. Ubi tamen duo requirit Stam. cit. lib. 2. cap. 14. n. 25. 1. Ut maleficium nomine Domini à famulo gestum sit l. 6. §. 6. ff. de negot. gest. cap. natum 9. de Reg. Jur. in 6. consentit Francisc. Marcus part. 2. Decis. 422. n. 25. 2. Ut Dominus delictum, dampnumve cum ista qualitate, tanquam suo nomine gestum, ratificet per l. 3. §. 11. ff. de vi & vi armat: Vid. Cacher. decis. 138. n. 17. & seqq

§. 6. Tenetur 4. Dominus, si elegerit famulos notoriè sceleratissimos l. 27 §. 11. ff. ad Leg. Aquil. l. 7. §. 4. ff. naut. campon stab. Dum enim tales elegit, facile cogitare poterat, quid inde

INCIPIT

indé evenire posset, & proinde in culpa est *c. negligere 2. quest. 7.*
Stam. tit. cap. 14. n. 22. Eckold. ad ff. d. l. n. f. Sicbard. in l. 3. C. de
pac. n. 13. Consil. Marp. vol. 4. Consil. 50. n. 198. Item: Si com-
modum aut emolumentum ex delicto vel damno à famulo dato,
ad Dominum pervenerit. Arg. l. 14. ff. de condit. in deb. l. 206.
de Reg. Jur. l. 1. §. 15. depos. l. 17. §. 4 ff. de Instit. act. Caroc. de
locat. conduct. tit. de incend. n. 15. Rauchbar. part. 2. quest. 20. n. 38.
Imo denique o. tenebitur quoque Dominus, etiam extra hos
casus, ad quantitatem usque mercedis famulo debite arg. l. 31. ff.
depos.

§. 7. Ultimo loco hic quæritur: An Dominus hisce,
casibus ex famuli sui delicto, ad damni tantum præstationem, an
verò ea quoque pœna teneatur, qua tenetur principalis delinquens
nempe famulus. Et putaverim, arbitrio judicis multum hic tri-
bui, ita tamen, ut regulariter Dominus ad solius damni emen-
dationem; tantum teneatur, non verò eadem pœna aut
aliqua corporali statim afficiendus sit. *Bonacoss. de serv. & fam.*
quest. 13. & 64. n. 1. Anton. Thesaur. quest. forens. 83. n. 1.
Menoch. de arbitr. Judicium quest. cent. 4. cas. 345.
n. fin. Vid. Laté Stam. lib. 2. cap. 18.

per tot.

SOLI DEO GLORIA.

Quem.

Quem Sanguis, Virtus, doctæ-
que Heliconis alumnæ
Nobilitant, verè Nobilis
esse potest.

Nobilis ergò tuam nunc scandat,
Varne cathedram,

LEMKENIOq; suas Præsides pandit
opes.

LEHSTENIUS siquidem generosò San-
guine cretus,

Majores numerat nobilitate
graves:

Hocque decus propriâ virtute auge-
re laborat,


Dum clarias sitiens flumina sa-
cra bibit,

Sic

Sit felix tantus juvenis, Magnoque
Parenti
Et patriæ pergat gaudia mille
dare.

Scrib.

GEORGIUS RADOVIUS, D.
Codicis Prof. & Acad. h. t.
PRO-RECTOR.



§. 4. Obligatur 2 Dominum
 officium, consensu & voluntate
 innum dederit l. 2. §. 3. C. de noxal
 Stam. dict lib 2. cap. 14. n. 11. Brun
 Scharf: in l. 3 C. de pact. n. 13. Gom
 Ubi verò notandum, quod, cum reg
 num consensu Domini datum e
 probari debeat. Gaill. de pignor. c.
 2. conclus. 660. Alciat. de presump.
 3. Resp. 30. n. 345. Consensus autem
 exscientia & patientia Domini, si
 non prohibuit l. 2. 3. §. 4. ff. de nox
 Aquil. Rauchbar part. 2. quæst. 10
 art. n. 27. Ruin. vol. 5. Cons. 12. n. 8.
 n. f. culpæ enim reus est, si ille, cu
 tes prohibere, non prohibuerit cu
 l. 9. §. 1. ff. ad Leg. Cornel. de fals. U
 dens Dominum rixari cum alio acc
 non prohibente Domino, vulnera
 ribus à servo illatis, in poenam pecu
 natu Pedemontano condemnatum,
 sing. quæst. for. 83.

§. 5. Idem dicendum 3. quod
 famuli Dominus, si illud rati habue
 rit. 10. in fin. Consil. Marpurg. vol. 4.
 in delictis etiam mandato compara
 mat. l. 152. §. 2. ff. de Reg. Jur. cap.
 liat. Ubi tamen duo requirit Stat
 maleficium nomine Domini à famu
 negot. gest. cap. natum 9. de Reg. Ju
 cus part. 2. Decis. 422. n. 25. 2. Ut
 ve cum ista qualitate, tanquam suo
 §. 11. ff. de vi & vi armat. Vid. Cach
 §. 6. Tenetur 4 Dominus
 sceleratissimos l. 27 §. 11. ff. ad Leg.
 pon slab. Dum enim tales elegit

GACHT

avis extra su
 querit, aut da
 to adversant.
 de noxal. act.
 om. 3. cap. 3. n. 8.
 prelumat, da
 ante specialiter
 de probat. vol.
 40. Corbm. vol.
 batur & elicitur
 tuit delictum &
 §. 4. ff. ad Leg.
 d. Jus Lubec. cit.
 ti. de nox. act.
 nbit, delinquen
 X. de off. deleg.
 alus quidam vi
 que, tacente &
 hunc pro verbe
 cut. fuisse à Se
 m: Thesaur. lib.
 eatur ex delicto
 tit. ff. de noxal.
 quia rati habitio
 ff. de vi & vi ar.
 X. de restit. spo.
 v. 14. n. 25. l. l. l.
 l. 6. §. 6. ff. de
 it Francisc. Mar
 tum, damnum
 ratificet per l. 3.
 17. §. seqq
 amulos notoriè
 ff. naut. cau
 re poterat, quid
 inde

